



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno MDLXXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

iffima Virgo Mater apparuisse fertur, eamque
 Filia quoque nomine blandè appellasse, mollius
 accusasse, quòd pristina erga se Filiumque suum
 pietatis oblita, in exitium rueret voluntarium:
 deinde grauitèr coarguisse de peccato quodam in
 confessione occultato; neque aliter in ipsam da-
 monem potestatem fuisse habiturum. Denique
 laqueo de miseræ collo detracto inssisse, cuidam è
 nostris Sacerdoti, quem nominatim designauit,
 peccata omnia confiteri: id quod illa obedienter
 fecit.

*Confes-
 sionem
 quam op-
 time in-
 stituere.*

ANNO MDLXXXIII.

932 Benedictus Goëz hoc anno ad Societatem
 quam anno 1584. iniit, amplectendam hoc viso
 permotus est, vt plures perhibent qui hæc typis
 etiam prodidère. Anno 1583. templum Deipara
 forte ingressus, visâ istic Beatissimæ Virginis
 Iesum in sinu confidentem tenentis imagine, mi-
 litaris suæ vitæ licentiam effusè detestatus, coram
 ara de genibus suppliciter Virginem orauit pro ve-
 nia scelerum à IESV impetranda. Tum paruulus
 (quasi Mater exorata veniam à Filio impetrasset)
 in lacteas lachrymas abundè solui est visus, quibus
 tota circum ara copiosè immaduit; testibus ad
 hæc oculatis liquore illo sudariola imbuentibus.
 Addunt annuæ; quòd sit visus, lachrymante par-
 uulo, è manibus Matris emicare fons aquæ.

*Per illam
 petere
 gratiam
 contra ritio-
 nis*

933 Georgius Gilbertus nuncuparis hoc anno
 Societatis votis extinctus est. Is Patrum cuidam
 sub arcani fide silentij dixit, visam sibi Deiparam
 sereno vultu iucundam, quæ suam obedientiam
 approbavit, cum paulò ante ipsum sententiæ suæ
 plus equo adhærescentem vultu haud satis hilari ac
 benigno aspexisset. Mox ac dicto obedienter au-

*Obedien-
 tia illam
 colere.*

diens fuit, conspectum à se vultum Deiparæ hilaratum.

ANNO MDLXXXIV.

pag. 319.

*Ægris
eruire.*

934 Ad seruendum ægris impensius, & ad alios ad idem efficacitate maiore cohortandos, vehementer se incitatos senserunt Mexicani Patres eo quod in literis huius anni narrant exemplo Deiparæ cum SS. Catharina & Magdalena in valetudinario cibum in os ægræ sœminę ingerentis, & eam perfanantis. vnde fama obtinuit, sedem in eo Nosocomio sibi Deiparam delegisse. Alijs quoque infirmis cibum ibidem præbere visa est Dei Mater, Catharinâ & Magdalenâ nunc mappam, nunc lances manu sustinentibus, ac ægros confirmantibus.

An nua
pag. 331.

*Pro confessione
benè per-
agennâ
opem à B.
V. petere.*

935 Hoc item anno exemplo didicit Mexicanus quidam Pater, eos qui confitentur, ad B. Virginem supplices ire debere. Is Indum à peccatis nō statim absoluerat, vt perfanaret; sed iusserat pellicem primū dimittere, ac præstitutis certis corporis afflictationibus animum ad serium fructum pœnitentiæ præparare, ope Deiparæ imploratâ. Obedienter fecit omnia Indus; cūq; se vesperi Deiparæ Matris in fidem perdiligenter commendasset, eâ nocte se illi monstrare ac loqui videbatur in gloria paruulus eius frater olim vitâ functus qui eum ad pœnitentiam hortabatur: item Christus de Cruce minaciter eum obiurgans; denique circumdata splendidâ maiestate Deipara cū Sanctis Petro ac Paulo Apostolis Christo pro peccatore supplex, ac eius nomine meliora spondens. S. Petrus illum simul grauissimis verbis obiurgabat, simul in spem erigebat, dicens; fore vt si præterita licenter commissa castigaret, Beatæ Mariæ deprecatione